



Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Quadragesimale, Oder ... Predigen/ Deren auf Jeden Sonntag ... zwey
eingrichtet ... Zweyter Theil

Barcia y Zambrana, José de

Augsburg, 1719

Purissimæ Angelorum, Hominumque Reginæ, Mariæ Sanctissimæ In
Miraculosa Icone Sacrarum Sanctæ Ecclesiæ Toleti Primariæ Hispaniarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76484](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76484)



PURISSIMÆ
ANGELORUM,
HOMINUMQUE
REGINÆ,
MARIÆ SANCTISSIMÆ
IN
MIRACULOSA ICONE SACRARIJ
SANCTÆ ECCLESIAE TOLETI PRI-
MARIAE HISPANIARUM.



um in supremis hæc tunc Aris gratiorem semper spiraverit odorem ^{1. Reg. 15.}
obedientia, quam victimæ; cum magna consolatione tuis (Sere-
nissima Angelorum Regina) sacratissimis pedibus hac in occa-
sione humilitas mea advolvitur, hac quippe secunda offert non
victimam tantummodò, exiguam licet, sed & obedientiam longè gratif-
simam: victimam quidem parvo hoc volumine contentam, quod conscripsit
ardens à Sanctissimo Filio tuo per Intercessionem tuam potentissimam
mihi inditum desiderium animabus, quæ tantò ei steterunt impendio, pro
modulo meo subveniendi; obedientiam autem, quam præsto Eminentissi-
mo Præfato, & Domino meo, hic etenim mihi in mandatis dedit, ut
librum hunc suo Nomine Majestati tuæ Toleti in miraculosa tua Sacrarj
Imaginem tanta populi veneratione cultæ quàm demississimè offeram. Gra- ^{Deut. 26.}
tissimum mihi hoc accidit mandatum, & quidem duplici ex capite: primò, ^{vers. 4.}
cùm oblationi huic in manibus Summi Hispaniarum Sacerdotis positæ mul-
tum accesserit pretij, quam ipse non ut alienam sed quò decentior tuis ap-
propinquet altaribus, ut propriam ad tuos sacratissimos pedes deponit; alterò,
quia Majestatem tuam minimè latet, cor meum tibi omninò addictum cun-
cta

DEDICATIO

Etia sua opuscula coram te prostravisse, ut ab inmenso, quo erga animas flagras, amore ardentem hauriant spiritum: quanto magis hoc, quod prodit, quando licet præter mea merita officio Capellani tui fungor in primario hoc templo inaudito antehac favore ab Augustissima Præsentia tua affecto eo tempore, quo insignem Capellanum, & Defensorem tuum Ildephonsum pretiosâ condecorare Casulâ dignata fuisti, cumque insuper singularem à Divina Providentiâ gratiam me accepisse agnoscam amorosè disponente, ut eo ipso die in lucem sim editus, quo tua in hanc Sanctam Ecclesiam potentissima celebratur descensio?

Hoc tibi (Purissima Domina) mea balbutiente licet lingua loquetur tepida devotio; cum autem hunc librum Nomine Eminentissimi Prælati mei offerre debeam, qui tantæ sibi gloriæ ducit à primis annis te tibi ut ferventissimum Capellanum inserviisse, quomodo tepiditas mea illius explicabit ardentem affectum? qua verborum eloquentia inflammata ejus erga te devotionem, & tuam ipsis etiam cogitationibus superiorem altitudinem vel à longè attingam, quando in primaria, & à te ipsa præ cæteris dilecta Imagine hanc Majestati tuæ facit dedicationem: constat quippe ex indubitata traditione, te, quando ad honorandum in isto templo Gloriosissimum suum Antecessorem Ildephonsum descendisti, non prius ad cœlestis gloriæ Thronum remeasse, quàm tuam antiquissimam simul ac Augustissimam Iconem amorosè amplexa fueris? non immeritò posset hinc Evangelicus Benjamin, & tui studiosissimus Capellanus repetere, quòd te viderit in primarium templum descendere tanquam civitatem Sanctissimam Jerusalem cum sacro ornatur, quo condecorandum Ildephonsum advenisti: *Descendentem de cælo sicut Sponsam ornata*; nec ego in conspectu miraculosæ imaginis tuæ gloriosis brachiis tuis circumdata, si verbis Apostoli, & Evangelistæ utar, aberravero dicendo in cælo primariæ Ecclesiæ tuæ signum magnum, Imaginem scilicet mulieris cœlestis sole circum amictæ visum fuisse *signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole*. Nec pedibus sua deest Luna in innumeris resplendens donis, ac divitiis, quibus Monarchæ, atque Ecclesiæ Præsules, etiam exteri admirandam tuam effigiem exornarunt, præsertim Sanctus Ludovicus Galliarum Rex repetitis vicibus inauditum favorem, quem Eclypon tuum à te suo prototypo accepit, veneraturus regiâ munificentia pretiosa transmisit munera: *Luna sub pedibus ejus*: etiam stellæ ad tua comparent servitia, cum in tanto numero ad inserviendum tibi, debitumque cultum præstandum continuo se sistant nobiles, docti atque devoti, ut tua gloriosè conficiatur corona:

Corona

Julian. in Chron.
Tolet.
Joan.
Guil. Zam.
addit. ad Chron.
Villeg. in Fels. De- scens.
Garci.
Loaisa ap. illum.
Hier.
Roman. add. Julian.
Machad.
Lofad tr. de Primat.
Andr. Escor. in Biblioth.
Portocarr. lib. de Descens.
Francis. Pis. in Chronic.
Herrera descripi. sacr. Tol.
Apoc. 12.
P. Franc.
Portocarr. lib. de Descens. 33.

DEDICATIO.

corona stellarum duodecim. Hic (Purissima Virgo) hic copiosissimo divinarum miserationum torrente irrigamus: *Suscepimus Deus misericordiam in medio templi tui.* Hic, ubi Imago tua gratiosissima colitur, ditamur misericordiae divinae Thesauris, non solum nos longè felicissimi, quibus datum est quotidie in conspectu tuo assistere, sed omnes Hispaniae fideles, quibus speciali favore te Patronam benignissimam exhibes. Cum enim Civitas Toletana sit centrum Hispaniae, atque tua Imago in sacrario centrum Civitatis: de hoc centro ad omnem circumquaque circumferentiam speciales emanant gratiae, pro quibus tota Hispania sat grata esse nequit. Richardus hac de causa te specioso titulo vocavit *centrum mundi.*

Nescio sanè, benignissima Domina, quam occultam sacratus hic vultus spiret vitalitatem, omnes hoc, quotquot aras ejus frequentant, unanimi ore testantur: nullus enim horum inficias ibit, se in ejus praesentia constitutum suavissimam affectus, devotionis, solatij, atque reverentiae novitate reviviscere. Verum, si complexus Elisaei in defuncti pueri corpus spiritum & vitam reduxit; uti ex sacris paginis nobis constat, quid non tuus amorosus amplexus vultui huic amænissimo, tuamque augustissimam formam praeter ceteris melius referenti contulerit? Ectypon dico (Sanctissima Virgo) si quis autem reclamet, atque dicat, imagine tam fuscâ tuam incomparabilem ipsiusque Apellis penicillò multis parasangis superiorem pulchritudinem adumbrari minimè posse: respondere poterit imago tua cum dilecta sponsa in canticis, quae te refert: nemo in stuporem rapiatur, si ipsam fuscâ conspexerit, sol enim ipsi amplexu suo colorem prototypi abstulit: *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decoloravit me sol.* Fortasse ideo, ut differentia sit inter originale & vultum hunc miraculosum, aut ne ardens nostrum desiderium ipsum Prototypum in caelis videndi, atque plenitudine bonorum, quorum multa in isto sacrario experimur, fruendi, intepescat: *Plura nobis per hoc sacrarium conferuntur* (poterat hic jure dicere devotissimus tuus coherus) *quam per vetus illud templum collata sunt Judaeis.*

Innumera beneficia, quibus Eminentissimus Praelectus, & Dominus meus se cumularum fuisse agnoscit, ac profitetur ex eo tempore, quo Decanus hujus sanctae Ecclesiae extitit usque ad praesens, quo sacrâ purpurâ conspicuus ad primariam sedem Ildephonsi exaltatus est, liberalitatem ejus suaviter compulerunt, ut in gratitudinis, atque devotionis testimonium multa, eaque pretiosa munera ad altare tuum deponeret: *In muneribus vultum tuum deprecabuntur*, tanta nihilominus, tamque pretiosa

Psal. 47.
Antonin.
3. p. tit. 31.
cap. quod-
que Ric. l.
3. de laud.
B. V. M.
Bull. ferm.
2. assumpt.

4. Reg. 4.

Capit. 1.

Psal. 44.
Diodor.
l. 6. Bi-
blioth. c.
7. & 9.

DEDICATIO.

ornamenta liberalitati ejus visa erant pauca, ac exigua, hinc ulterius progressus hunc pauperem librum cujus auctorem licet indignum prius Capellani tui titulò condecoravit, tuæ Majestati consecrat. Arctum ædificium est (ô Domina) tuæque amplitudinis incapax, parva nimis stylobata ad sustentandam tam Magnificam Imaginem, Thronus exiguus pro Augustissimo tuo Nomine: verbò supellex est indigna pro tanto Sacratio. Minime tamen dubito, sed de tua humanissima benignitate mihi promitto, Patrocinium tuum his scriptis non defuturum: non enim indignam scribentis, sed gratissimam offerentis manum respicies

Damasc. in
Mancis
Græc. 25.
Mart.

Damian.
serm. 1.
Nat. Joan.
Baptist.

Ildephon.
l. de Virgin.
M. c. 10.

Thom. Vil-
lanov. ser.
1. de Af-
sumpt.

Petr. Bleff.
serm. 18.

Proclus
orat. 6.
de laud.
B. Virg.

Damasc.
orat. 4. de
Nat. B.
Mariæ.

Martin.
Mag. in
Salve Reg.
Anselm. tr.

de Concept.
Mar. idem
orat. ad B.
Virg. Rup.

l. 4. in Cant.
Richard.
Laur. l. 10.

de laud.
B. Mariæ.
Aug. ser.
18. de sanct.

Gen. 27.
Antonin.
4. p. tit. 15.
c. 2.

Hanc cordi meo spem ineffabilis pietas tua Augustissima Sacrarum Maria impressit: cumque sis vivum Sacrarium DEI Patris, prout te vocavit sanctus Joannes Damascenus: Sacrarium Verbi Divini juxta effatum Cardinalis Damiani: Sacrarium Spiritus Sancti prout te intitulat Puritatis tuæ defensor sanctus Ildephon-
sus: Sacrarium Sanctissimæ Trinitatis, hoc titulo te honorat sanctus Thomas de Villanova: Sacrarium, in quo DEUS suaviter quiescit, dixit Petrus Blessensis: Sacrarium incontaminatæ Innocentiæ à primo Conceptionis instanti, scripsit sanctus Proclus: Sacrarium inviolatæ Virginitatis, prout sensit sanctus Joannes Damascenus: Sacrarium Misericordiæ juxta Martinum de Magistris: Sacrarium Propitiationis: mens est sancti Anselmi: Sacrarium omnium virtutum, idem sanctus dixit: Sacrarium divinæ Scripturæ, sicut Rupertus Abbas te vocavit; atque Sacrarium Sacrorum librorum, prout tibi devotus Richardus à sancto Laurentio dixit; *Sacrarium, in quo repositi fuerunt sacri libri:* Admitte parvum hunc libellum in sacrarium tuum, ut verba ejus à spiritu tuo inflammata saliant de sacratio tanquam ignitæ sagittæ, quæ corda feriant, simulque debito sanctissimi tui Filij, tuique amore accendant. Admitte (piissima Virgo) supplices has preces (rogo te verbis Augustini) in sacrarium acceptationis, ut fructus zelo, quo tibi libellus offertur, desideratus respondeat: *Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis.*

Eminentissimum Principem meum, qui ad tuos sacratissimos pedes opusculum hoc deponit, suscipe sub maternam tutelam, doce, adjuva, ut ope, atque beneficio tuo desideratis in Regimine suo fructibus lætari possit: imple ipsum copiosis divinæ dulcedinis benedictionibus: atque, si in posteritatem Jacob benedictiones à Patre acceptæ continuo fluxu se propagarunt, dum à Matre sua Rebecca optimis indutus erat vestibus, quomodo sua Eminentia in primaria dignitate à Ildephonso descendens, non etiam sperabit, se per te, (Rebecca Mystica, prout dixit sanctus

Anto-

DEDICATIO.

Antoninus) benedictionibus, quas Ildephonso impetrasti casulâ
eum vestiendo, cumulandam esse? Benedictionibus fœcundetur,
atque producat copiosos zeli sui ardentissimi fructus Palma hæc
Eminentissima plantata sub umbra Majestatis tuæ, tu etenim es
palma Exaltata in hac urbe capitali Cades, atque ingenita est
palmae proprietas in consortio alterius palmae fructificare, ut me-
ritis plena post diuturnam fructuosam vitam in Paradysum æter-
nitatis transplantetur. Jam ori digitum imponat (admonet me
sanctus Anselmus) qui de tua ineffabili Magnitudine dignè loqui
nequit: *Jam sileat, qui dignè eloqui non potest.* Suscipe tamen
(ô Domina) humillima mea desideria, mihi que per intercessio-
nem tuam potentissimam infusionem Sancti Spiritûs impetra,
ut dignus verbi divini minister efficiat: *Accipe, quod offerimus*
(supplex cum Augustino rogo) *redona, quod rogamus, excusa,*
quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum: per te spera-
mus delictorum veniam, & in te est (Beatissima) nostrorum ex-
pectatio pramiorum.

Eccl. 24.
Berch. l. 12.
reduct. c.
112.

Honor. in
Sigill. D. M.

Ansel. l. de
Excell.
Virg. c. 11.

August.
serm. 1 f.
de Sanct.

